

pido se pulchra veste circumdat tentator, ubi circumspectus Christi oculus rictum Satanae hiantem probe observat: & frustra buccina pacis sonat, ubi classica ad perdendum fidelium coetum nihilominus cantum interstingunt. Triplicem enim viam ingredi solere Babylonem Romanam omnis historia testatur, ut sicubi possit, *violenter rem gerat*, si nequeat, *pacem spiret* & *ebanritatem*. Cum vero haec fucata sit, adscititia saltem & picta, non potest non eminere animus ad saevitiam compositus per *convicia*, *accusationes*, & *injurias*, quas in ecclesiam nostram magno cumulo effundit. Uti vero de prioribus duabus viis nunc non dispicere vacat, ita de postrema, quae perinde trita saepenumero deprehenditur, contemplationem instituemus eo libentius, quo magis necessarium est, ut omnibus constet, quo loco ecclesia nostra ab adversariis nostris habeatur.

§. III. Convitia vero illa, quibus ab ipsis oneramus, aut in universam doctrinam & ecclesiam nostram, aut ad certa ejus individua, speciatim D. Lutherum & locum, in quo adversus Papatum decertavit, directa sunt. Mittimus nunc, quae posterioris sunt classis, & alii occasione reservamus. Quot enim non talium convitiolorum plaustra convehi possent, quibus & Lutherum & Vittebergam nostram prosciderunt, & quicquid ingeniosi penes ipsos erat, tantum non omne eo contenderunt, ut Academiam nostram quam nunc (quod DELRIO fecit *Disquis. Mag. P. I. p. 265.*) *ludum Saxonis excucullati*, nunc aliis titulis cognominarent, & una cum Doctoribus ecclesiae nostrae, in universum omnibus, fatis duris compellationibus & gravibus accusationibus premerent. Malumus vero subsistere in iis, quae ad priorem seriem pertinent, & duplicis rursus generis sunt, aut enim *omnia in universum*, quae apud